

plicatione, nisi revera inter duo connexio sive ordo sit, ea neque ad arbitrium poni, neque ad libidinem configi potest; sicuti accideret, si eadem penderet a genio illius, qui ad allegoricam explicacionem recurrit; sed necesse est, ut independenter a cuiusque iudicio figura et figuratum inter se ordinem habeant.

34. COROLLARIUM. Ex omnibus hac quaestione dictis patet, effrons esse incredulorum mendacium, omnes prophetias divinarum Scripturarum esse allegoricas, atque turpiter illos a vero aberrare, dum effutunt, allegoriam rem inanem esse, eamque pendere a genio eius, qui ad allegoricam explicationem recurrit, tantumque abesse, ut per allegoriam Indus sensatus convincatur, ut potius rationi illius contraria sit (1). Nam, ut supra dicebamus, allegoria plurimum utilitatis continet, cum, uti ex s. Augustino (2) audivimus, aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, et nexus quendam atque ordinem esse supponat inter ea, quae quandam facta atque dicta fuere, atque inter illud, ad quod referuntur, licet illud multo post tempore contigerit. Quapropter si quae utilia sunt, a nemine sanae mentis respudi debent; si quae mirabilem quandam inter se connectionem habent, licet temporum, locorumque intervallo inter se distent, et ab hominum libero arbitrio pendeant, peculiari ratione divinitus et ordinata, et praevisa esse constat, atque idcirco suae divinitatis argumenta praeseferunt; nullus sane rectae rationi contraria ea esse affirmaverit, dum tamen ipse

(1) Auctor operis inscripti: *Examen de la religion*, c. 7, n. 4 et 2, ita delirat.

polleat iudicio rationis. Indus ergo si bardus, stupidus, insensatusque ille sit, aut si ita indocilis et obfirmato animo, ut sunt increduli, allegoricae explicationi sese accommodare non poterit, non vero si sit sanae mentis, atque polleat sano iudicio rationis. Hinc recte s. Augustinus (3) observavit, quod neque etiam pagani in hoc nobis christianis obstrepant, aut contradicere audent, ne ea, quae in Scripturis divinis figurate sunt dicta, interpretetur ad Christum intelligendum: praesertim quia ea, quae sic praenuntiata sunt, reapse iam sunt impleta. Verba s. doctoris loc. cit. ita sonant: *Nec pagani* (hoc vero est, quod incredulos recentiores vellem advertere, ut ipsis paganis deteriores sese agnoscerent) « nobis in hoc obstrepunt; neque enim audent contradicere, ne illa non solum dicta, sed etiam facta, figurata accepta interpretetur ad Christum intelligendum, praesertim quia ea quae praenuntiata intelligimus, etiam demonstramus impleta. »

35. AT INQUIES: Ideo oracula gentilium exploduntur, quia aenigmatica, obscura et ambigua fuerant; ergo idem dicendum de mysticis, allegoricis, vel aenigmaticis prophetis *Isiae*, *Ieremiae*, *Ezechielis*, aut aliorum prophetarum. R. Oracula gentilium non tam ob obscuritatem suam, quam ex aliis causis, quas supra (4) recensuimus, reiciuntur. Praeterea ingens est discriben inter duplum sensum (literalem scilicet et mysticum) quem mysticae prophetiae divinarum Scripturarum continent, et amphiboliam oraculorum gentilium. Haec enim continebant duplum sensum oppositum, quorum unus exclude-

(2) Loc. cit.

(3) L. 12 contra *Faustum*, c. 40.

(4) Num. 24 ad confirm. 2.

bat alterum: ita, ut si unus erat verus, alter necessario esset falsus; quo factum est, ut homines deciperentur: quemadmodum *Croesus* expertus est, dum percipiens ambiguum illud oraculum: *Croesus Halym* (fluvium) *penetrans*, *magnam perverlet opum vim*, putavit hostium vim sese perversum; pervertit autem suam, ut Cicero (1) ait, regnumque cum ingentibus divitiis suis amisit.

At in prophetiis allegoriciis, mysticis, vel aenigmaticis longe aliter se res habet. Nulla ibi oppositio inter sensus diversos, nulla contradictio. Duntaxat duo diversa objecta indicantur, quorum unum figura, alterum figuratum, ita tamen, ut ambo successive impleantur. In exemplo. Propheta *Nathan* (2) in nomine Dei ad *Davidem* dixit: « Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te... et firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in semipernum. Ego ero ei in patrem, et ipse mihi erit in filium. » Quo aciem mentis et spiritus sui prophetis verbis intendebat? In *Salomonem*, et teste s. *Paulo* (3) etiam in *Messiam* i. e. *Christum*; in figuram et figuratum; et quod hoc loco dicit, tam in uno quam in altero modo quemvis illorum decente, impletum est. *Salomon* enim unus e maximis terrae regibus factus est; aedificavit templum *Dominum*; et *Deus* in eum, velut dilectissimum filium, singularia paterni amoris officia exercuit. Sed et Mes-

(1) Lib. 2 de divinatione, ultra medium.

(2) II. Reg. c. 7, v. 12, 13 et 14.

(3) Ad Hebr. c. 4, v. 5.

(4) Verba *Hugonis Grotii* in suo commentario in Matth. c. 4, v. 22. Divina

sias noster *Iesus Christus* secundum carnem descendit ex *Davide*, secundum potentiam et dignitatem est rex regum, cuius regni non erit finis: secundum naturam vero divinam est *Dei filius naturalis*, consubstantialis Patri; aedificavit seu fundavit ecclesiam legis novae, quasi regnum et thronum *Dei semipernum*. Quid iam in hoc absurdum? quid contradictori? quid fraudulenti aut seductorii? An non potius ex harmonia seu consensu gemini huius sensus (literalis et mystici) potius elucet infinita Dei sapientia, quae, sicut sola in omnes quantumvis remotissimos rerum eventus penetrat; ita etiam futura sapientissime ordinare, et longe distantia per vicinora tanquam imaginem et figuram designare seu portendere potest.

36. QUERES XIII. *An prophetiae sint efficax argumentum ad veritatem religionis christiana demonstrandam?* R. Affirmative contra impiam olim *Theodori Mopsuesteni* doctrinam in v. synodo oecumenica damnatam, negantis, ullam prophetis vim probandi inesse; item contra *Grotium* eandem doctrinam posterioribus seculis recoquenter, cum ait (4), prophetias non in vim argumenti proprie adhiberi, sed duntaxat ad illustrandam et confirmandam rem iam creditam. Quae sententia, ut bene inquit *Huetius*, tota *Socini* fermento turget; eius quippe discipuli i. e. *Sociniani* eandem avide arripiunt atque defendere conantur. Apicem autem temeritatis attigit impius *Collinsius anglus*, dum prophetis utpote mere typicis, mysti-

vaticinia deprimentis, sunt ista: « Haec igitur omnia, et quae alia sunt eius generis, suis locis excutienda, non in vim argumenti proprie adhibentur, sed ad confirmandam et illustrandam rem iam creditam. »

cis et aenigmaticis, nullam probandi vim inesse contendit, indeque christianam religionem, quae his prophetis maxime niteretur, luculente falsam pronuntiare non reformidat.

Verum contra hos omnes, eorumque doctrinam est: I. Christus ipse veris prophetiis ad probandum usus est (1), iudeos incredulos remittens ad Moysen prophetam: *Scrutamini Scripturas - illae sunt, quae testimonium perhibent de me: si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.* Sic etiam duos discipulos in Emmaus euntes reprehendit, quod editis de se prophetiis modicam fidem adhiberent, dicens (2) ad eos: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae!* In eandem sententiam allocutus est (3) etiam apostolos: *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis, et psalmis de me;* ergo ex ipsis Christi effatis patet, prophetias esse potens argumentum ad probandas fidei veritates. II. Id ipsum testantur etiam apostolorum principes, Petrus et Paulus. Nam prior (4) prophetias vocat *firmorem propheticum sermonem;* posterior vero, cum Romae iudeos ad se convenientes christiana lege informare vellet, *suadebat eis de Iesu ex lege Moysi et prophetis, a mame usque ad vesperam* (5). Hoc eodem arguento tanquam validissimo usus est apud Agrippam regem (6), vimque argumentum agnoscens Agrippa, dum a Paulo interpellaretur: *Credis, rex Agrippa, prophetis?* statim respondit: *In modo suades, me christia-*

(1) Ioan. c. 5, v. 59 et 46.

(2) Luc. c. 24, v. 25.

(3) Ibidem v. 44.

(4) II. Petr. c. 1, v. 19.

num fieri; ergo ex prophetis potest solidum verae religionis argumentum desumi. III. Ex prophetiis fortissimum argumentum petere consueverunt omnes veteres christiana religionis defensores et patres gravissimi. Sic s. Iustinus M. in apologia prima pro christianis n. 30, ait: « Sed ne quis nobis opponat nihil obstare, quominus et is qui apud nos dicitur Christus, homo ex hominibus arte magica, quae dicimus miracula ediderit, ac propterea Filius Dei esse visus sit; iam demonstrationem instituemus, non dicentibus credentes, sed futura antequam fiant praedictibus necessario fidem habentes, eo quod ipsis oculis ita, ut praedicta fuerant, evenisse et evenire videamus; quae sane demonstratio vobis quoque, ut arbitramur, maxima et verissima videbitur. » Et num. 33 ita pergit: « Quae enim incredibilia erant, et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per spiritum propheticum futura praenuntiavit, ut cum evenissent, fides eis non derogaretur, sed ex eo quod essent praedicta, crederentur. » Similiter Origenes prophetarum oracula passim contra Celsum adhibet, eamque probationem ex prophetiis petitam lib. 2 vocat *τριποτέτην ἀπόδεξιν validissimam demonstrationem.* Similia quoque habet s. Irenaeus (7), qui non prophetiarum veritatem miraculis, sed miraculorum Christi veritatem prophetiis comprobat; Tertullianus, qui librum suum adversus iudeos hac absolvit clausuram: Haec aut prophetata nega, quae coram videntur, aut adimpleta, cum leguntur: aut si negas utrumque, in eo erunt adimpta, in quem

(5) Actor. c. 28, v. 25.

(6) Actor. c. 26, v. 22.

(7) L. 2 adversus haeres. c. 12.

sunt prophetata; s. Augustinus (1), Lactantius (2), Eusebius (3), atque innumeris alii. IV. Ipsa natura verae prophetiae, quae per se certam dicit cum veritate connexionem, utpote a solo Deo tanquam causa efficiente proveniens (4) demonstrat, invictum ex veris prophetiis argumentum ad stabiliendam religionem peti posse.

37. AT INQUIES: Apostolus (5) expresse ait: *Itaque linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus;* ergo prophetiae non habent vim argumenti efficacis ad convincendos infideles de veritate christiana religionis; sed duntaxat utiles sunt fidelibus ad illustrandam rem iam creditam. N. Neg. cons. et suppositum, quod hoc loco nomine prophetiarum intelligentur vaticinia seu praedictiones futurorum; sed, uti interpretes consentiunt, hic per prophetias intelliguntur exhortationes sacrae, seu et interpretationes s. Scripturae, laudes divinae, aut cantus sacri in ecclesiis: prout patet ex illis verbis initio cit. cap. v. 3, positis: *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem.* Unde iam alibi (6) monuimus *τὸ προφητεῖα non semper futurorum praedicationem (de qua hic agimus), sed interpretationem divinarum Scripturarum, aut laudes Dei vel cantus sacros designare.*

SCHOLION: Reliqua adversarium (efficaciam prophetiarum ad demonstrandam christiana religionis veritatem inficiantium) argumenta in praecedentibus quaestinibus iam praecoccupavimus, aut in subsequentibus diluemus.

(1) L. 42 aduersus Faustum, c. 46, tract. 58 in Ioannem, l. 1 de cons. evang. c. 11.

(2) L. 5 instit. c. 5.

(3) Praepar. l. 4, c. 5.

(4) Vide supra n. 16-26.

(5) I. Cor. c. 14, v. 22.

(6) Vide supra n. 5.

tribunalia iudicum et magistratus, iisque omnes, qui publica munera gerunt. Hi quippe omnes, si nemini nisi propriis auribus et oculis fidem habere debent, saepissime neque remunerari, quos aequitatis ratio postulat, neque reos punire poterunt, prout horum sclera marentur. Recte igitur et sapienter credimus testibus omni exceptione maioribus, si de aliquo facto testantur, quod quidem nos propriis oculis non vidimus, nec alio sensu percepimus. Quare cum de existentia sanctorum prophetarum, et vaticiniorum ab iis editorum, ac eventu his vaticiniis respondentie multa millia hominum testata fuerint, et testentur, nullaque prudens ratio sit, omnes hos testes falsitatis arguendi; ac praeterea hoc testimonium per constantem et continuam traditionem ad nos usque sit propagatum; nonnisi homo proterve contumax autemotae mentis, has prophetias factas et impletas fuisse, ac proin easdem esse efficax argumentum ad stabilendam religionem, negaverit. III. Si ad hoc, ut prophetiae nobis sint efficax argumentum ad stabilendam religionem requireretur, ut ipsimet prophetas vaticinantes audiverimus, simulque eventus prophetiis respondentes propriis oculis viderimus, prout quidam deistarum contendunt; sequeretur omnino, quod Deus, quantumvis omnipotens, omniscius et sapientissimus huius mundi gubernator sit, tamen nec per se ipsum, nec per aliquem suorum servorum, mortalibus aliquem eventum, qui primum post plura secula eveniet, revelare possit; vel si hoc potest, talis revelatio esset inutilis, esset inefficax argumentum ad aliquid

(1) Loc. cit. pag. 162-175.

demonstrandum, e. g. ad stabilendam religionem; quia illa ab uno eodemque homine non potest simul audiiri, et impleta conspici. Atqui Deum vel non posse revelare aliquem eventum post plura secula futurum; vel eiusmodi revelationem fore inutilem, dici nequit sine grandi iniuria omnipotenti, sapientissimo et optimo Numini illata. Plura de praesenti quaestione doctissime disserit cl. Storchenau (1).

COROLLARIUM: Ex dictis constat, et omnino impiam, et prorsus contumendam eam rationem esse, quam praeter alias deistas sequitur etiam Rousseau tom. 3 in dialogo, quem ibi habet. Nam hoc in dialogo pag. 143, *miracula* inde negat, quia illa non vidit. Simili ratione pag. 144, quia neque audivit *prophetias*, neque testis fuit eventus, quem habuerunt, illas quoque negat.

39. QUAERES XV. *An testimonium historicum de existentia prophetarum et prophetiarum ab eis editarum, harumque adimpletionem, nihil de sua certitudine amittat ob longissimam temporum, quibus ista contigisse dicuntur, successionem?* R. Negative. Nam universum notandum est, quod testimonium, quod ob omnes suas circumstantias certum est, propter longam successionem temporum nihil de sua certitudine amittat: id quod cl. Thomas Cerboni (2) sequenti ratiocinatione demonstrat. « Certitudo rei alicuius, ut per se unicuique patet, pendet ab argumentis ipsius credibilitatis: ergo si argumenta credibilitatis eadem perseverent, ipsa res eodem modo credibilis persistit: atqui quamvis longum tempus fluxerit, tamen argumenta credibilitatis semper eadem perseverant; ergo suc-

(2) *De theologia revelata*, tom. 1, 1, 2, Lemma c. 12, pag. 104 et 105.

cessio temporum de certitudine rei alicuius nihil detrahit. Ergo contra apertam rationem insanierunt, qui propter successionem temporum certitudinem alicuius facti semper minui, ac tandem omnino evanescere geometrica methodo se demonstrare somniati sunt (1). Infiniti quidem calculi fieri possunt; verum si arbitrariis suppositionibus iiii innitantur; quales suppositiones, tales et calculi sunt. Ut ergo per calculum hac de re institutum evincatur, rem aliquam aliorum testimonio confirmatam per successionem temporum suam certitudinem amittere, illud demonstrari deberet, testimonium aliorum, quamvis idem perseveret, eandemque evidentiam habeat, tamen non esse idem, eandemque evidentiam non habere, si ad solam successionem temporum advertatur. Id autem nunquam evinci posse, quicunque demum calculi instituantur, per se manifestum est. Nam quod semel verum est, semper est verum, quamecumque tandem successionem temporum praeterfluxisse ponatur: nam successio temporum non facit, ut non fuerit, quod semel fuit.... Ergo successio temporum veritates rerum non immutat: ergo neque etiam facit, ut testimonio multorum confirmatum non sit, quod revera confirmatum fuit: ergo testimonium, quod ob omnes suas circumstantias... certum est, propter ipsam successionem temporum de sua certitudine nihil amittit.

« Verum ut nullus hac de re ambiguitati vel obscuritati locus esse possit, *impressio*, quam aliquis eventus mente causat, a *convictione*, seu *persuasione*, quam inducunt

(1) Hoc Traigius tentavit *theolog. christ. princip. mathem.* cap. 11, propos. 47, qui etiam eo usque dementiae devenit, ut post ter mille quingentos a Christi ortu

argumenta credibilitatis, distingueda est. *Impressio* consistit in admiratione, gaudio, tristitia, aliisque passionibus, quae factum aliquod magni momenti comitari solent: *convictio* autem, seu *persuasio* est firma assensio mentis propter evidenter, ob quam aliquid revera factum esse, dubitari non potest. *Impressio* secundum distantiam temporum atque locorum, data proportione minuitur, ac fieri potest etiam, ut propter longinquitatem temporum prorsus evanescat; praecipue si, quod contigit, neque attentius meditemur, neque ad nos aliquo modo pertineat. Verum *convictio* seu *persuasio*, eadem omni tempore perseverat, quoadusque suppetunt eae rationes, quae in illam semel induxerunt. » Hucusque laudatissimus auctor, qui insuper addit et recte monet, certitudinem alicuius facti, licet propter successionem temporum non minuatur, tamen successu temporum augeri posse. « Verum enim vero (inquit) propter successionem temporum alicuius facti certitudinem augeri posse contendo. Suffragio, auctoritate, atque consensione multorum fieri, ut res aliqua certior evadat, nemo negaverit, sed quo maior fuerit successio temporum, suffragium quoque, auctoritas, et consensio multorum magis extendi potest: ergo propter successionem temporum alicuius facti certitudo augeri potest: ergo si successione temporum factum fuisse constet, ut multi sapientia, doctrina, atque sanctitate praeclarissimi viri, non solum in rem aliquam (tanquam gestam) consenserint, quae licet suo tempore non contigerit, tamen omnia

annos evangelicam historiam amplius probabilem futuram non esse, divinare non dubitaverit.

credibilitatis argumenta retineret; sed etiam in defensionem illius tum scriptis laboraverint, tum omne malum sustinuerint, et ipsam vitam profuderint, res illa procul dubio semper certior evadit: sed hoc in omnibus iis contingit, de quibus cum deistis disputationem nos habemus: ergo haec talia sunt, ut propter successionem temporum certiora semper evaserint. Tunc ergo de iis certiores sumus, quae paucis, quam de iis, quae multis ante annis contigerunt, quando quae remotiora sunt, vel non retinent pristina argumenta credibilitatis, vel subsequentium temporum homines illa rationabilibus de causis in dubium revocant; ceterum si ea et pristina argumenta credibilitatis retineant, et homines omnium temporum suo testimonio constantissime confirmaverint, dubitari non potest, quin maiorem gradum certitudinis semper acquirant. »

COROLLARIUM: Ex dictis consideranti facile patet, certitudinem de existentia sanctorum prophetarum et prophetiarum ab eis editarum, harumque adimpletione propter longam successionem temporum ab illis usque ad nos extensam, non modo non imminutam, sed potius auctam fuisse; cum traditio de existentia illorum vaticiniorum, eorumque adimpletione sit antiquissima aequa ac constantissima, ad nos usque propagata.

40. QUAERES XVI. *An demonstrari possit, quod eventus a prophetis praedicti non acciderint fortuito atque casu?* ¶ Affirmative

(1) Vide cl. Hermannum Goldhagen, p. 2 ² introduct. in s. Scripturam, sect. 4, n. 189-195, ubi cum cl. Houllervillio quatuor ex omni numero prophetias, et quatuor sc. maioribus prophetis delibat, et paulo fusius ostendit, eos tam multa, tam varia, tam ab omni expectatione aliena, tam longe a temporibus, qui-

contra famosum Rousseau, qui, ut in dubium revocet, quod in prophetis divinae virtutis argumentum evidentissimum occurrat, ait, nunquam fuisse demonstratum, non accidisse contingentem atque casu, ut eventus prophetis responderet. Verum contra est. I. Nil in mundo reapse fit casu mere fortuito, sed omnia fiunt iuxta sapientissimam Dei ordinationem, ea vel positive volentis, vel si peccata sint, permittentis; quamvis nos mortales has Dei ordinationes saepe ignoramus, aut ad eas non attendamus, sique multa casu fortuito contingere nobis videantur. II. Probe notandum, fieri non posse, ut quae connexionem inter se nullam habent, semper inter se quoad omnia etiam minutissima fortuito, atque casu convenient; potissimum vero si pendeant a liberis causis, iisque multiplicibus, et omnino diversis quoad indolem, ingenium, institutionem et alia omnia; vel si sint contra naturalem ordinem, consuetumque aut naturae, aut hominum agendi modum: sed talia sunt, quae factis multo ante tempore prophetis omnino etiam quoad minutiora responderunt (1): ergo evidentissime constat, eventum non fortuito, aut casu respondisse prophetis.

41. QUAERES XVII. *An prophetae contraria docuerint, et sibi contradixerint?* ¶ Negative. Falsam enim hanc esse Spinozae contra sanctos prophetas prolatam calumniam, iam supra (2) ostensum est, et paulo infra (3) adhuc magis ostendimus.

bus prophetarunt, remota distinctissime praenuntiasse, ut prorsus incredibile sit, illos naturali quadam sagacitate praevidisse, aut eventus his prophetis exacte respondentibus fortuito duntaxat casu contigisse.

(2) Quaest. 7, n. 20.

(3) Perlege sequentem q. 18.

42. QUAERES XVIII. *An prophetiae semper sint impletæ, aut implendæ?* ¶ Prophetiae divinitus inspiratae, seu quas ecclesia romano-catholica tanquam veras prophetias agnoscit, semper sunt impletæ aut implendæ. Contradicunt quidem increduli, et opponunt prophetiam *Ionae* de interitu urbis *Ninive* non impletam; prophetiam *Ieremiae de Sedecia* rege in pace dormituro, cui tamen ambo oculi effossi, eiusque filii in ipsius conspectu occisi sunt; prophetiam *Isaiæ de morte regis Ezechiae* pariter non impletam, et similia. « Comminationes et promissiones prophetarum, inquit *Du Marsais* (1) saepe effectu carebant suo. *Ionas* praedicebat, urbem *Ninivem* intra 40 dies subvertendam; cum autem eventus vaticinio non respondisset, dicebat, Deum poenitentia ninivitarum commotum, decretum suum revocasse. *Ieremias* nomine Dei promittebat *Sedeciae*, ipsum in pace dormitum; et tamen postea eidem ambo oculi adempti sunt, postquam gemini eius filii in ipsius conspectu occisi fuisse. » Verum hi et similes incredulorum assultus contra vaticinia sanctorum prophetarum vani sunt. Non enim genuinam notionem habent comminatariae sententiae, qualis fuit illa *Ionae* adversus urbem *Ninive*. Sententia enim comminatoria solet esse implicite conditio-nata, ni resipiscat reus: cum igitur ante elapsos 40 dies ninivitae resipuerint, mirum haud est, eis fuisse parcitum. Aut an Deus fortasse debuisse poenitentibus non parcere? Sed o immanem tyrannidem! hic exclamassent adversarii. Igitur recte concludimus, prophetiam illam fuisse

(1) Vide cl. Nomotte, Diction. philosoph. art. *Prophéties*, § 2.

(2) *Ierem.* c. 34.

(3) *Ibidem* v. 4 et 5.

conditionatam, quae, conditione non impleta, nec debebat, nec poterat impleri. Praesensit hoc ipse *Ionas*, hinc tantopere detrectavit exequi mandatum divinum annuntiandi ninvitis interitum; prout postea afflatus, quia vaticinium suum adversus *Ninivem* videbat non impleri, orans ad Dominum fassus est his verbis: « Propter hoc praeoccupavi, ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multae miserationis, et ignoscens super malitia. »

Neque fecellit prophetia *Ieremias* (2), ut *Du Marsais* blasphemat. Praedixit enim *Ieremias Sedeciae* regi, Ierosolymam expugnam-dam, ipsum in manus *Nabuchodonosoris* perventurum, et captivum adducendum fore *Babylonem*, ibi in pace moritum, et more regum suorum antecessorum sepeliendum et plangendum: et omnia haec impleta sunt, ut *Ieremias* praedixit. Quamvis enim in captivitate fuerit mortuus, tamen decessit in pace, id est, naturali, non violenta morte. Hoc enim duntaxat vult sacer textus (3) dicens: *Non morieris in gladio, sed in pace morieris*. Atque ita evenisse testantur etiam hebrei in sua chro-nologia, quam *Seder Olam*, id est, *Historia saeculi* appellant: ubi etiam planctum ei exhibitum commemorant (4).

Quod vero attinet vaticinum *Isaiae* (5) de morte vicina *Ezechiae*, illud fuit conditionatum, sicut praedi-tio *Ionae* de interitu urbis *Ninive*, ita, ut verborum illorum: *Morieris enim tu, et non vives, sepsus sit*: « Morieris certe ex vi huius morbi; iuxta naturalem causarum ordinationem, aegritudo lethalis

(4) V. *Tirinum* comment. in *Ierem.* e. 34, v. 5.

(5) IV. Reg. c. 20, v. 4.

est, nisi Deus extraordinario modo sanet, qui unus mederi iam potest. »

Ita quoque *Elisaeus* (1), quamvis sciverit, Syriæ regem aegrotantem moriturum morte violenta, quia *Hazaël* illum suffocaturus erat; tamen cum veritate respondit, futurum, ut Syriæ rex convalesceret, nimirum intelligendo, quantum ad vim morbi attinet (morbus enim non erat lethalis), et nisi alia mortis causa extrinseca accedat. Et convaluisset etiam, nisi alia vis extrinseca et violenta aegritudini accessisset.

43. INSTAT I. Auctor operis *de spiritu iudaismi*, et ait: Percipi nequit, quomodo propheta iudeus (qualis erat *Ionas*) ninivitas convertere posset, quibus religio iudaica prorsus erat incognita. ¶ Suffecit, quod ninivitae verum Deum agnoverint; quem haud dubie agnoscabant, cum ad eum per poenitentiam confugerint, eiusque iram poenitendo placarint. Simile exemplum habemus in *Achab* rege Israëlis, qui, quamvis idololatra et impius, tamen comminatione plurimorum maiorum ab *Elia* facta territus, se coram Deo vero humiliauit, et temporalem veniam obtinuit (2) : quae de re consule *Cornelium a Lap.* (3), aliasve interpretes.

44. INSTAT II. Auctor (4) citati operis *de Spiritu iudaismi*, aliique increduli (5), ac dicunt: « Mos prophetarum erat, ut, quando falsa praedixere, ad honorem suum in toto ponendum dicerent, se a Domino delusos fuisse, Dominum ad se misisse spiritum mendacem, ut ii, quos perire volebat, falso vati-

(1) IV. Reg. c. 8, v. 10.

(2) III. Reg. c. 21, v. 20, usque ad finem huius capituli.

(3) Comment. in III. Reg. 21, v. 27 et 29.

(4) Esprit du jud. c. 9, p. 125 et 126.

cino decepti, in ruinam praecipitarentur. Sic quadringenti prophetæ Domini decipiebant *Achab* regem Israël et *Iosaphat* regem Iuda, eis praedicendo felicem exitum pugnae adversus syros ineundae. Solus propheta *Michæas* veritatem fassus est. *Ieremiae* contradixit propheta *Hananias*, cui Dominus prorsus opposita vaticiniis *Ieremiae* inspiravit. » ¶ Haec incredulorum obiectio sequentes falsitates complectitur. I. FALSUM EST, ullibi in sacris literis scriptum esse, quod Dominus *suo* prophetas deceperit, aut in *suo* prophetas spiritum mendacii immiserit. Dicit quidem Deus per os *Ezechielis* prophetæ (6): *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi prophetam illum.* Sed agit ibi de idololatria et pseudoprophetis, ac sensus est: Decipi illum permisi: toleravi eius mendaces prophetias et promissiones: ut per eum puniam interrogantes idola et horum prophetas. » Sermo enim hoc loco (sicut etiam cap. præcedente) est de falsis prophetis, qui fallaci responione populum decipiebant, et simulabant, se esse prophetas Domini, quales tamen non erant. Unde illis comminatur Dominus (7) his verbis: *Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* Similiter quadringenti illi impostores, qui *Achabum* et *Iosaphatum* falsa prædictione deceperunt, non erant prophetæ Domini, sed pseudoprophetæ *Achabi* regis impii et idololatrae. Certe ex s. Scriptura clare patet, non hos pseudoprophetas, sed solum *Michæam* ibi fuisse PROPHETAM DOMINI. Nam ita (8) legimus:

(5) Tindal c. 13, p. 252 et 253. Bible expliquée. *Morgan*, tom. 2, p. 165, 203.

(6) Ezech. c. 14, v. 9.

(7) Ezech. c. 15, v. 5.

(8) III. Reg. c. 22, v. 6-9.

« Congregavit ergo rex Israël prophetas: quadringentos circiter viros Dixit autem Iosaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? Et ait rex Israël ad Iosaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Gemla. » En! solus *Michæas* (1) appellatur ab *Achabo* propheta Domini, et ex toto illo capite 22 L. 3 Reg. manifestum est, non quadringentos illos viros, sed solum *Michæam* ibi fuisse prophetam Domini. Et profecto ipse solus geminis illis regibus veritatem non dissimulavit: sed ex auditus non est, immo loco præmii in carcerem a rege *Achabo* detrusus est (2). Porro, dum cit. cap. v. 23 Deus dicitur *dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum*, i. e. pseudoprophetarum, eo solum sensu spiritum mendacii illis deditus dicitur, quo magnos peccatores excaecat et indurat; hoc est, permittebat, eos a spiritu mendace obsideri et decipi; ut interpres orthodoxyi (3) recte exponunt.

II. FALSUM EST, quod prophetæ Domini deceperint regem *Achab*. Hic enim, ut modo demonstratum est, non a prophetis Domini, sed a suis pseudoprophetis deceptus est.

III. FALSUM EST, quod Dominus *Hananiae* id, quod erat oppositum vaticinio *Ieremiae*, inspiraverit. *Hananias* enim non fuit propheta Domini, sed pseudopropheta, quem *Ieremias* verus propheta Domini (4) ita est allocutus: « Audi, *Hanania*;

(1) Iste *Michæas* est alius et diversus ab alio *Michæa*, qui inter minores prophetas sextus est positus. Ille enim prior alterum *Michæam* centum et pluribus annis praecessit; quoniam prophetavit sub *Iosaphat* et *Achab*; alter vero sub *Ioathan*, *Achaz*, et *Ezechia*, ille prior in Israël, alter in Iuda.

(2) III. Reg. c. 22, v. 26 et 27.

(3) Vide *Cornel. a Lapide*, *Tirinum*, alias probatos interpres comment. in *Ezech. c. 14*, v. 9. Item in III. Reg. c. 22, v. 20 et 22.

(4) *Ierem. c. 18, v. 15, 16 et 17.*

(5) II. Thess. c. 2, v. 2.

non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco haec dicit Dominus: Ecce mittam te a facie terrae: hoc anno morieris: adversum enim Dominum locutus es. Et mortuus est *Hananias* propheta in anno illo, mense septimo. »

45. INSTANT III. Apostoli vicinum mundi finem praenuntiarunt. Unde etiam quidam patres opinabantur, propinquum esse mundi interitum: et tamen haec praedictio apostolorum post septendecim secula nondum est impleta: ergo non omnes prophetiae, quas christiani tanquam divinitus inspiratas venerantur, impletae sunt. ¶ Apostoli non hoc sensu propinquum mundi finem dicebant, quasi post paucos dies vel annos mundus interitus esset. Hanc enim opinionem expresse reiicit d. *Paulus*, et in Epistola 2 ad thessalonicenses monet fideles, ne se falsa hac persuasione infici sinerent: *Rogamus autem vos fratres, ait (5).... ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terremini, neque per spiritum (quasi divinum, aut propheticum), neque per sermonem (scilicet nostrum: erant enim qui mentiebantur, se ex ore Pauli audisse, quod instaret dies Domini), neque per epistolam tanquam per nos missam (h. e. si quis epistolam aliquam tanquam a nobis scriptam proferet), quasi instet dies Domini.* Itaque longe alio sensu in sacris literis vicinus dicitur mundi finis; quia nimirum ultima est mundi aetas. Si enim tempus omne ab origine mundi usque ad illius finem

dividamus in primum, medium, et novissimum, sive in legem naturae, Moysis, et gratiae, tempus legis gratiae (licet ad multa saecula extensum) est ultimum, cui aliud non succedit, sed sola aeternitas. Sic apud Isaiam (1) dicitur: *in novissimis diebus (h. e. in novissimo tempore, puta Messiae) praeparatus mons domus Domini in vertice montium etc.* Sic etiam quando s. Ioannes (2) inquit: *Filioli, novissima hora est, intelligit ultimam mundi aetatem, qua venturus est Antichristus, et eius praecursores (3).* Vel etiam ideo propinquus dici potest mundi finis, quia licet plura sint secula usque ad extremi iudicii diem, tamen apud Deum mille anni sunt instar unius diei, prout s. Petrus modo allatam incredulorum obiectionem praecoccupans, distincte ait (4): « Venient in novissimis diebus illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: ubi est promissio aut adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae..... Unum vero hoc non lateat vos, carissimi; quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. » Ex quibus verbis patet, quod apostoli sensa incredulorum plene praenoverint, et quod id, quod nostrae aetatis pseudo-philosophi tanquam fructum doctae suea inquisitionis evulgant, in apostolorum scriptis iam ante septendecim secula refutatum fuerit.

Caeterum, si aliqui patres finem mundi tanquam proximum per errorem annuntiarunt, id mirandum non est; cum Christus ipse (5) dixerit, quod *de die illa et hora*

(1) Isai. c. 2, v. 2.

(2) I. Ioan. c. 2, v. 18.

(3) Vide Menochii comment. in I. Ioan. v. 2.

nemo sciat, neque angeli coelorum, nisi solus Pater. Sunt autem alii patres, qui mundi finem non tam propinquum esse asseverarunt. Sic s. Chrysostomus (6) ait: *Moram autem faciente sponso non parvum temporis spatium interiectum ostendit.*

46. QUAERES XIX. *An libri Prophetarum V. T. sint authentici, vel potius supposititi, serius conficti, ac prophetis illis falso attributi?* (7) Sunt authentici, nec serius conficti, nec prophetis illis falso attributi. Antequam id probem, observo, quod olim contrarium senserit Porphyrius, et postea Spinoza, ac post hunc magna caterva incredulorum philosophorum. *Porphyrius* quidem proprie impugnabat solius Danielis prophetias, et eam duntaxat ob causam, quia illae ipsi videbantur nimis clarae et apertae: sed *Porphyrii* sectatores iam audaciores facti, ex simili causa etiam caeterorum prophetarum vaticinia carpabant. Sed contra est: Liber Danielis iam diu ante Antiochi tempora extitit; nam teste Iosepho (7) Hierosolymis a summo pontifice Iadus appellato hic liber ostensus est regi *Alexandro M.*, qui non solum extraordinariam reverentiam summo pontifici et memorato libro exhibuit, sed etiam iudeos singularibus favoribus exin prosecutus est. Verba Iosephi iudei loc. cit. sunt: « Alexander . . . in urbem (*Hierosolymam*) pervenit, et ascendens in templum . . . pontifici quoque suum honorem habuit. Ostensoque sibi Danielis libro, in quo graecum quedam persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, laetus dimisit multitudi-

(4) II. Petri c. 3, v. 3, 4 et 8.

(5) Matth. c. 24, v. 36.

(6) Homil. 9 in Matth.

(7) Antiq. iudee. l. 41, c. 8.

nem. Sequenti vero die vocatis eis (i. e. iudeis) iussit, ut, quidquid vellent, peterent. Pontifice autem petente, ut patriis legibus vivere sibi liceat, atque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia etc.». Iam vero stabilita hac veritate, quod liber Danielis prophetae iam tempore *Alexandri M.* extiterit, hoc ipso omnis timor pannicus, ne fors iste liber supposititus, aut ab impostore aliquo confictus, et Danieli fraudulenter attributus sit, evanescit. Is enim, qui hunc dolum nectere voluisse, ipsem debuisse verus esse propheta; quia in scriptis Danielis multa facta praedicuntur, quae diu post mortem *Alexandri M.* contigerunt. Sic cap. 9. v. 26, Angelus *Gabriel* Danieli praedicit devastationem civitatis Ierusalem, et templi a romano exercitu duce *Tito* factam: sic cap. 11. praedicuntur bella posterorum *Alexandri M.*, puta Seleucidarum regum Asiae, et *Ptolemaeorum Aegypti*, ac tandem v. 21, sermo fit de *Antiocho Epiphane*, in quo Antichristus, eiusque tyrannis describitur.

Porro si Danielis scripta (ut hactenus ostendimus) authentica et nequaquam supposititia sunt, tunc neque de scriptis *Ieremiae* aliud suspicari licet. Huic enim *Daniel* testimonium perhibet, dum eum nominat prophetam, et ad eius vaticinia provocat, dicens (1): « Anno uno regni eius (*Darii*), ego Daniel intellexi in libris (2) numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad *Ieremiam* prophetam, ut completerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni».

Quod autem prophetias *Isaiae*, caeterorumque prophetarum atti-

(1) Daniel. c. 9, v. 2.

(2) Ierem. c. 25, v. 11, et c. 29, v. 10.

(3) Num. 16, q. 7.